

**COLLATED TRANSCRIPT OF THE APOSTOLIC BRIEF  
FOUNDING THE DIOCESE OF RICHMOND\***

Dilecto Filio Patricio Kelly Presbytero Ossoriensis Dioecesis in Hibernia in Novum Episcopum  
Richmondiensis electo

Pius PP. VII.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam benedictionem

Inter multiplices gravissimasque Apostolatus Nostri curas, non exiguam tenet partem, quae Dioecesium per universum orbem distributarum respicit statum. Siquidem supremae potestatis iudiciiue nostri est illas moderari, earumque limites constituere vel immutare, prout habita temporum ac circumstantiarum ratione, fidelium utilitati conducere dignoscimus. Cum jamdiu Nobis supplicatum fuerit, ut Virginiae Provincia in America Septentrionali, quae sub Dioecesi Baltimorensi continebatur, in novam Dioecesim ab ea disjunctam erigeretur, cumque ad extinguenda schismata ibidem oborta nimis expedire videatur ut proprius Episcopus in ea instituat; eoque magis quia Marylandiae Provincia, quae Baltimorensi Archiepiscopo subest, quaeque maximo Catholicorum numero referta est, tam amplam praebet eidem Archiepiscopo pastoralis zeli materiam [*vel* copiam], ut difficile possit ad alias Provincias curam extendere, Nos,

---

\* The ceremonial copy of the apostolic brief founding the Diocese of Richmond (July 11, 1820), which was sent to Rt. Rev. Patrick Kelly, the first bishop of the diocese, is not extant. There are three archival versions of the brief: in the Archdiocese of Baltimore, in *Propaganda Fidei*, and in the Vatican Secret Archives. Each manuscript is incomplete, with slight discrepancies between them that include omissions, elisions, abbreviations, and illegible words.

This transcript collates the textual variants. In the case of missing information—standard formulas—the brief founding the Diocese of Cincinnati (1821), as given in Donald C. Shearer, *Pontificia Americana: A Documentary History of the Catholic Church in the United States, 1784–1884* (Washington, DC: The Catholic University of America, 1933), pp. 110–112, has supplied the text.

Rev. Msgr. Robert Trisco, professor emeritus of Church history at the Catholic University of America (Washington, DC), prepared the collated transcript (2018).

de Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, statuimus atque decrevimus, ut praevia ejusdem Provinciae dismembratione a Baltimorensi Dioecesi, nova Episcopalis Ecclesia Baltimori suffraganea, Richmondiae, quae praecipua Virginiae urbs est, erigeretur, quae totam Virginiae Provinciam, minime comprehensa Columbia, complectatur, prout Auctoritate Apostolica, tenore praesentium, dismembramus, et in novam Episcopalem Ecclesiam Richmondiensem, Baltimori suffraganeam, cum omnibus juribus et praerogativis, juxta Sacros Canones ejusmodi [*vel* hujusmodi] Ecclesiis spectantibus, erigimus.

Nos quoque de praedictae novae Episcopalis Ecclesiae sic erectae provisionem celerem atque felicem, in qua nullus praeter Nos sese intromittere potuit seu potest, paterno ac sollicito studio intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eidem novae Ecclesiae personam utilem ac fructuosam, cum praedictis Venerabilibus Fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, demum ad Te, qui ex legitimo matrimonio procreatus et in aetate etiam legitima constitutus existis, cujusque apud Nos de vitae munditia, morumque honestate, deque pietate, studio, atque doctrina, ac Christianae Religionis, et Catholicae Fidei zelo, ac spiritualium providentia, et temporalium circumspectione fide digna testimonia perhibentur oculos mentis Nostrae direximus, quibus omnibus debita ratione pensatis, Te a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel serie absolventes, et absolutum fore censentes, eandem novam Episcopalem Ecclesiam Richmondiensem de persona tua Nobis et nominatis Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta de eorundem Fratrum consilio, auctoritate et tenore praefatis providemus, Teque illi in Episcopum praeficimus et Pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius Ecclesiae Richmondiensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie

committendo, in Illo qui dat gratiam et largitur dona confisi, ut dirigente Domino actus tuos praedictae Ecclesiae Richmondiensis per tuae circumspectionis industriam et studium utiliter et prospere dirigetur; grataque in ipsis spiritualibus et temporalibus incrementa suscipiat. Jugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione animi accipiens, curam et administrationem praedictas ita studeas fideliter prudenterque exercere, ut Ecclesia Richmondiensis gaudeat se provido gubernatori, et fructuoso administratori esse commissam. Tuque, praeter aeternae retributionis praemium, Nostrum quoque, et Sedis Apostolicae uberius exinde consequi merearis benedictionem et gratiam.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, Die XI Julii, anni MDCCCXX, Ponificatus Nostri anno 21<sup>o</sup>.

H. Card. Consalvi